

a posteriori, esse formam; sicut in numero ultima unitas est forma precedentium, quia per eam determinantur precedentes ad certam numeri speciem. Ita Richardus, & Henricus.

96 Sed haec etiam sententia displicet, materia enim hujus Sacramenti non debet esse vaga, & in contrahentium potestate sic posita, ut fieri possit forma, sed certa & invariabilis: At si consisteret in verbis illis solis quae prior contrahens profert, non esset certa & invariabilis, sed vaga, & in contrahentium potestate esset, ex materia facere formam, & e contra; quandoquidem uterque potest facere quod verba sua, quibus exprimit suum consensum, prius vel non prius proferatur, quam verba alterius: Ergo materia hujus Sacramenti non sunt verba a priori contrahente prolata.

97 Confirmatur: Etiam si accideret quod contrahentes simul tempore verbis aut nutibus suum consensum exprimerent, nihilominus esset verum Sacramentum Matrimonii; & tamen nulla essent verba priora pro materia: Ergo &c.

§. II.

Variorum seu probabiliorum sententiarum declaratur.

98 Quinta igitur, & probabilior sententia docet, eadem verba seu signa conjugum quibus mutuum consensum exprimunt, esse sibi invicem materiam & formam, secundum diversas considerationes, nam quatenus per eas mutuo sua corpora in conjugium sibi invicem tradunt, habent rationem materiae; in quantum vero pro ea corporum traditionem sibi mutuo factam acceptant, habent rationem formae. Hanc sententiam sic explicatam docent ex Thomis Dominicus Soto, & Petrus de Ledesma; ex extraneis vero Suarez, Bellarminus, Sanchez, Conink, & alii.

99 Ratio a priori illius est, quia in contractibus civilibus, traditio ut sensibili signo facta, habet rationem materiae; acceptatio vero verbis expressa, habet rationem formae: Sed Matrimonium in ratione contractus non differt a reliquis contractibus civilibus, neque, ut Sacramentum est, diversim habet materiam aut formam a seipso ut contractus est: Ergo in Matrimonio eadem verba vel signa conjugum, mutuum consensum exprimentia, quatenus sunt traditio, habent rationem materiae; prout vero sunt acceptatio, habent rationem formae. Minor est certa, Major vero sic ostenditur. Illud habet rationem materiae, quod se habet ut determinabile, quod vero est determinativum, habet rationem formae: Sed traditio habet rationem ut determinabile, completurque & perficitur per acceptationem, quae se habet per modum determinantis: Ergo in contractibus civilibus, traditio ut signo sensibili facta, habet rationem materiae; acceptatio vero rationem formae.

100 Dices primo: Non semper traditio, ut quid informe & determinabile, praecedit & inchoat contractum, sed aliquando subsequitur, complet, & perficit illum, ut constat in contractu donationis, in quo potest acceptatio precedere; potest enim quis prius velle habere dono agrum ab aliquo, eumque petere & alter posterius donare, vel promittere, atque ita complere contractum donationis aut stipulationis perfectae, juxta l. 1. §. si quis ff. de verborum obligationibus: Ergo in contractibus civilibus traditio non habet semper rationem materiae.

101 Respondet primo, in contractibus non attendi quid per acciendos, & in uno vel altero casu fiat, sed quid regulariter & per se; & quia regulariter & per se traditio praecedit & inchoat contractum, acceptatio vero subsequitur, determinat, & perficit illum, recte illa ponitur ut materia, haec ut forma contractus.

102 Respondet secundo, quod etiam in eo casu quo acceptatio tempore praecedat traditionem, traditio habet rationem materiae, & acceptatio rationem formae completis, & perficiens contractum: nam licet acceptatio duratione sit prior traditione, causalitate tamen est posterior, quia in instanti quo exprimitur consensus traditionis a donante, acceptatio a donatario prius tempore facta, ut contractum perficiat & compleat, debet per modum actus moraliter perseverantis, ratificare traditionem sibi a donatore factam, & consequenter supponere illam prius natura ut determinabilem, ut recte observavit Amicus.

103 Dices secundo: Ex Florentino in Decreto Eugenii, omnia Sacramenta novae legis tribus perficiuntur, rebus tantum materia, verbis tantum forma, & persona ministri conscientiam Sacramentum, cum intentione faciendi quod facit Ecclesia: Ergo verba seu nutus quibus conjuges mutuum consensum exprimunt, non possunt esse sibi invicem materia & forma in Sacramento Matrimonii.

104 Confirmatur: In quolibet Sacramento materia, forma, & minister realiter debent distingui: Sed si verba seu nutus conjugum sibi mutuo sint materia & forma, tria illa non distinguuntur realiter, consensus enim unius &

eiusdem partis, ut per verba vel nutus expressus, rationem formae & materiae habeat, secundum diversas considerationes; & praeterea cum ipsi conjuges sint ministri hujus Sacramenti, si ipsorum traditio habeat rationem materiae; causa materialis & efficiens coincident in eadem personam, quod videtur absurdum: Ergo &c.

Ad instantiam respondeo, quod quando Florentinum ait, omnia Sacramenta novae legis constare ex rebus & verbis, non ita strictè accipi debent nomina rerum & verborum, ut neque res pro verbis, neque verba pro rebus interdum accipi possint, sed nomine rerum intelligenda sunt ea omnia quae sunt vice earum, id est quae ita adhibentur in Sacramento loco rerum, ut sicut ipse, per alia signa determinentur ad significandum, & similiter nomine verborum intelligi debent omnia quae loco verborum adhiberi solent ad aliquod significandum, ut litterae, & similia, quae rerum significationem determinare solent: cum enim materia & forma in Sacramentis affliguntur per analogiam ad materiam & formam physicam, illud affliguntur ut materia, quodcumque tandem sit, quod imitatur materiam physicam; illud vero habet rationem formae, quod forma physica assimilatur. Sicut ergo in Sacramento penitentiae, quia confessio peccatorum determinat per abolutionem penitentiae, ad significandum remissionem peccatorum, verba penitentis per comparationem ad verba Sacerdotis, appellantur res Sacramenti penitentiae; ita similiter quia in Sacramento Matrimonii, verba unius conjugis quibus suum corpus alteri tradit, determinatur per verba alterius, talem traditionem acceptantis, & e converso, hinc fit quod verba seu nutus quibus conjuges mutuo suum consensum exprimunt, sunt sibi invicem materia & forma, secundum diversos respectus supra explicatos.

Ad confirmationem nego Majorem, licet enim Florentinum dicat, omnia novae legis Sacramenta perici materia, & forma; & intentione ministrum, non tamen asserit tria illa esse necessario realiter distincta, ideoque ad veritatem hujus dicti, distinctio rationis, seu virtualis sufficit. Addo quod, est materia totalis Sacramenti Matrimonii copulata sumpta, & forma item totalis simul sumpta, ad invicem comparata, non distinguantur realiter; si tamen unaqueque materia partialis divisim accipiatur, distinguuntur realiter a forma partiali qua perficitur: verba enim conjugis exprimentia traditionem proprii corporis, quae habent rationem materiae, distinguuntur realiter a verbis alterius quibus talem traditionem acceptat, & quae se habent ad modum formae.

Ad illud quod subditur de ministris hujus Sacramenti, dicendum est, nullum esse inconveniens, quod in hoc Sacramento causa materialis, & efficiens coincident in eandem personam, id enim exigit natura contractus, in quo contrahentes seipsos tradunt; ut constat exemplo illius qui se in servum alicui venderet, idem enim simul esset vendens & res vendita, subindeque illius contractus causa efficiens & materialis: Idem cum proportione dicendum est de conjugibus contractum & Sacramentum Matrimonii celebrantibus, habent enim secundum diversos respectus simul rationem causa efficiens & materialis talis contractus & Sacramenti.

DISPUTATIO III.

De Sponsalibus.

Ad quaest. 43. Supplementi.

Cum sponsalia maximam cum Matrimonio connexionem habeant, & sint veluti inchoatio futuri Matrimonii, & dispositio moralis ad illud, merito S. Doct. postquam de Matrimonio in ratione contractus & Sacramenti considerato discessit, agit de sponsalibus; de quibus etiam tractat jus civile toto ff. & cap. de sponsalibus, & Canonico tit. de sponsalibus, in 6. De illis etiam breviter in hac Disputatione differemus, eorumque naturam, obligationem, personarum habilitatem, & causas quibus dissolvuntur, examinabimus.

ARTICULUS I.

Quid sint sponsalia, & quanam ad illorum valorem requirantur?

Sponsalia a spondendo dicta sunt, eo quod mos fuit veteribus stipulari & spondere sibi uxores futuras, ut ait Ulpianus l. 2. ff. de sponsalibus, eaque sponso fiebat olim non ab illa qua in uxorem ducenda erat, sed ab ejus patre, vel tutore, aut alio qui eam daturus erat, qui deinceps sponso dicebatur; nuptura vero, sponsa; & vir puellam ducturus, sponsus appellatur. Hujus consuetudinis seu sponsonis ratio assignatur in jure, can. Distinctio 23. q. 2. ubi dicitur

dicitur hanc esse consuetudinem, ut jam pacta sponse, non statim tradantur, ne scilicet habeat maritus datam, quam non suscipere velit sponsus dilatare. Quod enim quis non diligit, non optat, facile contemnit, ut habetur can. presens 20. quaest. 3.

Porro sponsalium nomen variis rebus accommodari solet. In primis enim interdum contractus Matrimonii, per verba de praesenti, & Matrimonium nondum consummatum, dicitur sponsalia, & ipsi conjuges, qui de praesenti contraxerunt, nondum tamen carnaliter se cognoverunt, appellantur sponsi. Ita sumitur Luc. 2. ubi dicitur Maria fuisse Joseph sponsata uxor, & Matth. 1. Cum esset sponsata mater Jesu Maria Joseph. Et haec acceptio in lingua Gallica familiaris est, ejusque rationem reddidit D. Thom. hic art. 1. ad 6. quia nimirum qui Matrimonium per verba de praesenti contrahit, futurum Matrimonium actum spondet: sicut qui per verba de futuro sponsalia celebrat, ipsum Matrimonium futurum promittit. Secundo munera illa quae a sponso sponse dari solent ad ornatum illius, quae jocalia communiter dicuntur, sponsalia etiam vocari solent. Quo sensu intelligendum est illud 1. Regum 18. Non habet Rex sponsalia necesse, nisi tantum centum praesentia Philistinorum. Eodemque sensu dicitur 1. 1. Cod. si nuptiae ex recepto petantur, sponsalia, hoc est artharum dato nomine, reddi sibi praesentio legum cum spuesu panis desponsus. Tertio tandem sumitur magis proprie nomen sponsaliorum pro futuri Matrimonii promissione, in quo sensu deserviuntur sponsalia cap. Nefrates 30. quaest. 5. & l. 1. ff. de sponsalibus, futurarum nuptiarum promissio. Dicitur, futurarum nuptiarum, ut sponsalia distinguantur a Matrimonio, qui contractus est per verba de praesenti expressis: sponsalia autem contrahuntur per verba de futuro; ut, accipiam te in uxorem, accipiam te in virum. Dicitur promissio, quia ad sponsalia non sufficit propositum aut simplex voluntas, cum illa non sufficiat ad indicandam obligationem, sed requiritur necessarium promissio, seu voluntas se obligandi, quae mutua ex parte utriusque contrahentis esse debet. Unde notanter Jurisconsultus usus est voce *repromissio*, quae mutuum promissionem importat. Nam sicut in Matrimonio non sufficit consensus unius, sed requiritur mutus ex parte utriusque: Ita nec in sponsalibus, quae Matrimonii inchoatio sunt, sufficit promissio unius, sed utriusque necessaria est: unde si alter solum acceptet promissionem, sed non re-promittat, neuter obligatur vi sponsalium; an vero vi simplicis promissionis obligari possit, infra dicemus.

3 Observandum est autem primo cum D. Thoma hic art. 6. in corp. quod promissio futurarum nuptiarum dupliciter fieri potest, absolute scilicet, vel sub conditione; & rursus absolute quatuor modis. Primo, nuda promissione, ut cum dicitur: *accipiam te in meam*, & e converso. Secundo, datis arthris sponsalibus, ut jocalibus, pecuniis, & aliis hujusmodi. Tertio annuli subscriptione. Quarto, interveniente juramento. Si autem fiat sub conditione, distinguendum est: quia vel conditio est honesta, ut cum dicitur, *accipiam te, si parentibus placeat*; & tunc fane conditio, stat promissio; & non fane, non stat: aut est inhonesta; & hoc dupliciter, quia vel est contraria bonis Matrimonii, ut si dicam, *accipiam te, si veneno sterilitatem praesentis*; & tunc non contrahitur sponsalia: vel non est contraria bonis Matrimonii, ut si dicam, *accipiam te, si furtis meis consentias*, & tunc stat promissio, sed tollenda est conditio.

4 Advertendum secundo, quod ut promissio Matrimonii sponsalia constituat, verari debet circa personam determinatam, non autem consistere & indeterminatè circa aliquam de pluribus, atque determinate ferri in Matrimonium. Unde si Petrus Joanni habenti decem filias, promitteret se aliquam ex illis daturum, non determinando quam, talis promissio non haberet rationem sponsalium. Item si Petrus diceret Bertha, *nuquam ducam aliam praeter te*, talis promissio ad sponsalia non sufficeret; quia qui sic promittit, non obligat se determinatè ad Matrimonium cum illa in eundem, sed tantum indeterminatè: sensus enim illius propositionis est, vel ducam te, vel nullam aliam, & absolute verificatur, licet promittens nullam omnino ducat.

5 Tertio notandum est, ad valorem sponsalium non sufficere solum promissionem extraneam, utpote quae non est vera promissio, si desit animus promittendi, neque solum internam; quamvis enim Deo, qui cordium scrutator est, possit homo obligari actu interno; homini tamen alteri qui sola externa intuetur, non potest obligari, nisi per modum humanum, subindeque nisi signo aliquo externo ejus promissio exprimat. Ad sponsalia tamen non est necessarium, quod promissio vel consensus exprimat per verba vel alia signa determinata; sed sufficiunt haec aut illa quaecumque apta sunt exprimere alteri sufficienter consensum, & volitionem internam. Hinc est quod in quibusdam locis ad sponsalia sufficit

missio annuli in digitum sponse, vel appensio coram ad collum ejus, vel traditio artharum, vel portatio manus sponse, postulante sponso; & ipsa taciturnitas sponsi & sponse, quando nimirum parentes, aut tutores, vel curatores, qui sunt loco parentum, contrahunt sponsalia pro filiis impuberibus, aut etiam puberibus ipsis praesentibus, & non contradicentibus.

Haec sunt certa, & indubitata fere apud omnes Theologos, & Jurisperitos, sed circa valorem sponsalium alique sunt difficultates, & controversiae breviter hic discutienda, & resolvenda. Prima est, an sponsalia clandestina, id est quae non sunt coram Parocho & testibus, post Concilium Tridentinum sint valida? Prohibita enim per Tridentinum Matrimonii clandestinis, prohibita quoque videtur clandestina sponsalia juxta axioma illud: *Prohibito Matrimonio, censetur prohibitum id omne per quod ad illud pervenitur, sumptum ex lege Oratio*, ff. de sponsalibus.

Dicendum tamen est, sponsalia clandestina, etiam post Tridentinum, esse valida. Si enim esset invalida, maxime quia irritarentur decreto Tridentini sess. 24. de reformatione Matrimonii, clandestina Matrimonii irritantur: Sed tali decreto non irritantur: Ergo post Tridentinum valida sunt. Major patet: Minor vero probatur, ex eo quod id declaratum fuit expresse, teste Ledesma, a Congregatione Cardinalium, Tridentini Interpretum, in hac verba: *Decretum Concilii Tridentini, quo statuit quod Matrimonii contractus sicut solemniter coram Parocho, & testibus, habet tantum locum in Matrimonio, per verba de praesenti, non autem in sponsalibus per verba de futuro. Et rursus: Decretum hoc annullat solum contractus Matrimoniales, per verba de praesenti clandestine factos: Sponsalia vero per verba de futuro, relinquit in terminis juris communis.*

Ratio etiam id suadet: quidquid enim in nova lege expressum non habetur, veteris juris dispositioni relinquitur, ut dicunt Imperatores Theodosius & Valentinianus l. *Præcipimus*, cap. de appell. Sed in novo Tridentini decreto, contra clandestina Matrimonium edito, nulla mentio fit de sponsalibus: Ergo ea censentur dispositioni juris veteris relicta, unde cum jure veteri sponsalia clandestina valida sint, etiam post Trid. valida erunt.

Ad id quod non eadem militat ratio in sponsalibus, ac in Matrimonio clandestino; ratio enim quae Tridentinum movit ad prohibenda Matrimonium clandestinum, fuit, ut vitaretur adulterium: quod ex eis sequebatur; solebant enim plerique, spreto priori Matrimonio, clam inito, de quo proinde Ecclesiae non constabat, publicum aliud contrahere, quod tamen adulterium erat: hoc autem locum non habet in sponsalibus, quandoquidem Matrimonium contractum, spreto prioribus sponsalibus, validum est.

Ad illud vero axioma, *Prohibito Matrimonio, censetur prohibitum id omne per quod ad illud pervenitur*, dicendum est illud debere intelligi, quando prohibetur Matrimonium absolute, five omnibus modis, cum enim tunc nullo modo contrahi possit Matrimonium, sponsalia erunt promissio rei illicitae, ac proinde nulla. At nova Tridentini lege non inhibetur inter aliquas personas Matrimonium absolute, sed ut clandestine dumtaxat contrahendum, subindeque ex hac nova lege, nulla in sponsalia prohibitio derivatur, cum nulla sit inter clandestinitatem Matrimonii & sponsalium connexio; optime enim possunt sponsalia clandestine contrahi, etiam si Matrimonium debeat publice celebrari.

Secunda difficultas est, an Matrimonium clandestinum Tridentini lege irritum, habeat vim sponsalium; Id enim asserunt Henricus, Conink, Layman, & alii ex Recentioribus; quia, inquit, talis contractus ex natura sua virtualiter habet vim sponsalium, & non fuit irritum a Tridentino, nisi quatenus habet rationem Matrimonii, propter graviam incommoda quae ex Matrimonio clandestino sequebantur: quae non habent locum in sponsalibus, ut in resolutione superioris quaestio dicebamus.

Oppositum tamen tenendum censet, propter duas declarationes Cardinalium Concilii Tridentini interpretum, quae habentur in ejus editione Lugdunensi anni 1640. ad sess. 24. cap. 1. decreti de reformatione Matrimonii. Prior ita loquitur: *Matrimonium contractum coram testibus, sed sine Parocho, vel alio Sacerdote, de ejus licentia, post Concilium Tridentinum, non solum est nullum, sed nec vim habet sponsalium: adeo ut sic contrahentes, ad denuo contrahendum compelli non possint.* Posterior vero paulo post ibidem expressa, sic habet: *Matrimonium contractum non servata forma Concilii Tridentini (licet contrahentes certam inter se de contrahendo Matrimonio fidem dederint, & postea coram testibus sine Parocho de praesenti contraxerint, carnali etiam copula inter eos subservata) non in sponsalia de futuro resolvitur, ita ut cogi possent contrahere servata forma Concilii.* Ex quibus declarationibus ruit fundamentum contrariae sententiae, asserentis Tridentinum sui decreto, clandestinum Matrimonium in ratione dumtaxat Matrimonii, non



non in ratione sponsalium contractus, irritasse. Constat enim ex praedictis declarationibus Cardinalium Concilii Tridentini interpretum, Tridentinum non solum Matrimonium claudens, sed etiam sponsalia in iis virtualiter inclusa, irritasse.

23 Sed quares, an post Trid. saltem Matrimonium clandestinum inter impuberes contractum habeat vim sponsalium?

Respondeo etiam negative, propter aliam declarationem eorundem Cardinalium in cap. 2. sess. 24. in qua loquentes de Matrimonio inter impuberes contracto, haec habent: Quod si malitia aetatis defectum non supplicet, huiusmodi Matrimonium, si modo forma servata Concilii contractum fuit, resoluti in sponsalia. Ubi videtur, ut tale Matrimonium in sponsalia valide resoluti possit, ex quibus publice honestatis vinculum oritur, ut necessarium conditionem a Sacra Congregatione requirit, ut sit iuxta formam Tridentini contractum: Igitur forma Tridentina non servata, in sponsalia non resolvitur.

24 Tertio dubitatur, an sponsalia conditionata, per copulam clandestinam subsequentem, transeant in absoluta? Certum est enim, ea non transire in Matrimonium, ob legem Concilii Tridentini. Matrimonia clandestina irritantur.

Respondeo negative: Sponsalia enim conditionata non transeunt in absoluta, nisi conditione verificata, aut deponita, si pendeat a sola voluntate contrahentis: licet autem ante Tridentinum iure antiquo conditio per subsequentem copulam censetur deponi, eo quod tunc copula illa erat licita, & conjugalis censetur; nunc tamen cum talis copula non admittatur ut conjugalis, nec possit nisi affectu fornicario exereeri, cum invalida sit ad Matrimonium contrahendum, non potuit per eam censeri conditio deponi, subindeque sponsalia sub ea contracta, adhuc manebant conditionata.

25 Denum circa id quod diximus explicando sponsalium definitionem, ad sponsalia requiri mutam utriusque promissionem & acceptationem, difficultas est, an possit unus valide promittere alteri Matrimonium, illique obligari, absque eo quod iste reponnunt? Hoc enim negant Valquez, & Pontius, quia (inquunt) Matrimonium includit essentialiter mutam utriusque traditionem, & acceptationem de presenti, neque aliter fieri potest: Ergo promissio Matrimonii futuri includit essentialiter mutam utriusque promissionem, & acceptationem, neque potest ab uno valide promitti, quin alter reponnunt.

16 Dico tamen, quod licet promissione sponsalitia, non possit unus alteri promittere Matrimonium, illique obligari absque eo quod iste reponnunt, bene tamen simplici promissione.

Prima pars patet, quia natura sponsalium reciprocum ex parte utriusque desiderat promissionem, ut supra ostendimus, sponsalium definitionem explicando. Secunda vero probatur ex eo quod nulla apparet repugnantia, cur non possit quis per modum simplicis promissionis, alteri se gratis obligare ad contrahendum cum eo Matrimonium, quando ille hoc requirit, & quod iste ealem promissionem acceptet, cum expressa voluntate non reponnunt, subindeque sine reciproca obligatione ex parte sui: similis enim conventio fit quotidie in contractu census ex altera parte redimibilis, qui contractus est sine dubio onerosus, & ad commutationem pertinens; in illo enim censarius promittit pecuniam datam ad censum recipere, quotiescumque placebit censualiter eam reddere, & haec promissio ab illo acceptatur, alterumque obligat, absque eo tamen quod iste reponnunt eam reddere, & ad id obligatur; liberam enim retinet facultatem servandi in perpetuum, si velit, sub onere solvendi censum. Non repugnat etiam Joannem promittere Petro vendere illi suam praedium, quotiescumque ille velit emere iusto pretio & Petro hanc promissionem acceptare, absque eo tamen quod ipse ad emendum se obliget, subindeque Joannem quidem ad vendendum agrum manere obligatum, si Petrus velit emere, quamvis Petrus ad emendum non obligetur, Joanne volente ut emat. Idem cum proportione dicendum est in proposito. Nec obstat quod dicunt Adversarii, nempe Matrimonium, cum sit commutatio corporis pro corpore, essentialiter requirere mutam ex utraque parte obligationem. Quamvis enim Matrimonium non possit contrahi sine mutua utriusque traditione, & acceptatione, non sequitur quod pariter promitti nequeat sine utriusque promissione, & acceptatione mutua; ut constat exemplo promissionis & professionis religiosa, quae est mutua ex parte sua per promissionem se obligare ad professionem in religione emittendam, ipsa religione non se obligante (ut patet in votis simplicibus quae post biennium novitatus a Novitibus Societatis emittuntur) tamen per professionem non possit professus se religioni obligare, quia nimirum alia est natura professionis, & promissionis ipsius professionis. Cum ergo pariter longe fit di-

verfa ratio de contractu Matrimonii, ac de ipsa promissione contrahendi Matrimonium; potest unus alteri promittere Matrimonium, illique obligari, absque eo quod alter reponnunt, & ipsi vicissim obligetur: licet repugnet Matrimonium contrahi absque mutua ex utraque parte obligatione. Unde ad argumentum supra adductum, quod est praecipuum fundamentum Valquez, & Pontii, concessio Antecedente, neganda est Consequentia.

ARTICULUS II.

Quis possit Sponsalia contrahere?

27 Cum sponsalia sint promissio futuri Matrimonii, constat eos ad sponsalia inhabiles esse, qui ad Matrimonium contrahendum perpetuo inhabiles sunt. Qui vero solum ad tempus ad illud contrahendum sunt inhabiles, sponsalia contrahere possunt, quia possunt se obligare ad contrahendum Matrimonium pro eo tempore quo ad illud erunt habiles. Sic impuberes post septennium valide contrahunt sponsalia de Matrimonio tempore pubertatis inchoando. Et leges civiles prohibent ne tempore luctus viduae celebrentur secundas nuptias, cum tamen iis concedatur eo tempore sponsalia contrahere, ut patet ex l. soler ff. de his qui notantur infamia in quo sic dicitur: Quae virum luctet, intra id tempus sponsam fuisse non nocet. Item qui vovisset fervare castitatem usque ad annum vigesimum, valide intra illud tempus contrahere possent sponsalia de Matrimonio celebrando post illud tempus elapsum. Denum consanguinei in tertio vel quarto gradu possunt sponsalia contrahere sub conditione de futuro, si obtineatur dispensatio. Nec obstat quod habeant impedimentum praesens: nam impedimentum praesens solum obstat quominus de praesenti Matrimonium contrahere valeant, non vero quod possint promittere Matrimonium de futuro contrahendum, eo scilicet tempore, quo praesens impedimentum per dispensationem erit sublatum.

Certum est etiam, aetatem pro sponsalibus contrahendis ab utroque jure requisitam, esse septennium. De Civili constat ex l. 1. in sponsalibus ff. de sponsal. in qua dicitur, posse sponsalia a primario aetate effici, si modo id fieri ab utraque persona intelligatur, id est (explicatio est legis) si non sint minores, quam septem anni. De jure vero Canonico etiam liquet ex variis Summorum Pontificum scriptis, ut ex cap. 4. & 5. de despons. impub. ubi Alexander III. interrogatus de sponsalibus juvenis cuiusdam cum puella, respondit fuisse valida, si haec aetate desponsationem septimum annum aetatis compleverat, secus autem fuisse irrita. Et cap. 13. eodem titulo Innocentius III. declarat, inter juvenem & puellam, de quibus fuerat interrogatus, Nec Matrimonium nec sponsalia fuisse contracta, cum consistet puellam nondum ad septennium pervenisse. Et cap. unico eodem titulo in 6. Bonifacius VIII. affirmat sponsalia ab impuberibus contracta ante septennium, nulla esse, nisi postea consentierint, & signo aliquo externo consensum suum expresserint.

Ratio vero cur jura citata hanc aetatem ad valorem sponsalium requirant, assignatur a D. Thom. hic art. 2. Cum enim sponsalia, inquit, sint quaedam promissio futurorum, oportet spontem habere aliquam prudentiam circa futurum, quae usum rationis requirit. Eius autem respectu triplex est gradus secundum Philosophum 1. Ethic. cap. 4. Primus est, cum quis neque intelligit per se, neque ab alio capere potest. Secundus, quod homo ab alio jam capere potest, sed ipsa per se non sufficit ad considerandum & intelligendum. Tertius est, cum homo & ab alio jam capere potest, & per seipsum considerare. Et quia ratio paulatim in homine convalescit, secundum quod quietatur motus & fluxibilitas humorum, ideo primum statum rationis obtinet homo ante primam septennium, & propter hoc nulli contractui tunc aptus est, adeoque nec sponsalibus. Sed ad secundum statum incipit pervenire in fine secundi septennii, unde etiam tunc temporis solent pueri scholarum Discipline tradi. Ad tertium vero statum incipit pervenire in fine secundi septennii, quantum ad ea quae ad personam ipsius pertinent: quantum vero ad ea quae extra ipsam sunt, in fine tertii septennii. Et ideo ante primum septennium, nulli contractui homo aptus est. Sed in fine primi septennii incipit esse aptus ad aliqua promittenda in futurum, praecipue de iis ad quae ratio naturalis inclinat magis: non tamen ad obligandum se perpetuo vinculo, quia non adhuc firmam habet voluntatem; ideoque tunc possunt contrahi sponsalia. In fine autem secundi septennii jam potest obligare se de iis quae ad personam ipsius pertinent, vel ad religionem, vel ad conjugium. Post tertium denique septennium potest etiam aliis: unde secundum leges constituitur ei potestas de rebus suis disponendi, post vigesimum secundum annum.

Dices: Pro contrahendo Matrimonio diversa aetate assignatur in jure maribus, & feminis, nimirum aetate duodecim

decim annorum pro feminis, & quatuordecim pro maribus: Ergo cum sponsalia ad Matrimonium ordinentur, pro sponsalibus septennium utriusque assignari non debet.

Sed nego consequentiam & paritatem, nam ut recte dicitur S. Doct. ibid. in resp. ad 3. Tempore contractus Matrimonii non solum requiritur dispositio ex parte usus rationis, sed etiam ex parte corporis, ut sit tempus generationis aptum: & quia puella in duodecimo anno ad hoc venit, ut possit esse aetate generandi apta, puer autem in fine secundi septennii, ut Philosophus ait in 9. animalium; simul autem usum discretionis accipiunt, qui tantum in sponsalibus requiritur; ideo in sponsalibus determinatur unum tempus utriusque, non autem in Matrimonio.

21 Quares primo, an si ante septennium contrahentes habeant usum rationis sufficientem, & si tunc malitia aetatem suppleat, sponsalia valida sint?

Respondeo affirmative: malitia enim supplet aetatem respectu Matrimonii: Ergo debet quoque suppleere respectu sponsalium. Antecedens est certum, & constat ex cap. 9. de desponsat. impuberum, ubi Alexander III. de illis sic ait: Si ita fuerint aetate proximi, quod praenunci copula carnali conjugii, minoris aetatis: inquit separari non debent, si unus in alium visum fuerit consentire, cum eis aetatem supplevisse malitia videtur. Et cap. ultimo eodem titulo, Innocentius III. consultus de puella quae contraxerat circa annum duodecimum, etiamque dubium, an sufficientem aetatem attigisset, respondit in hunc modum: Si puella nullis non erat aetatis, & aetatem in ea praesentem non supplebat, precul dubio inter eos, non conjugium, sed sponsalia contracta fuerunt. Consequentia vero probatur, cum enim sponsalia non sint tanti momenti ac Matrimonium, possuntque multis de causis dissolvi, Matrimonium vero insolubile fit; per vel major est ratio, quod in sponsalibus malitia suppleat aetatem, quam quod eam suppleat in Matrimonio.

22 Quares secundo, an ultra hunc casum a jure expressum, quando scilicet malitia supplet aetatem, tempus septennii pro sponsalibus a jure statutum, possit aliquot diebus praeveneri, subindeque non requiratur ad sponsalia septennium mathematicum completum, sed sufficiat quod sit completum moraliter?

Respondeo ad validitatem sponsalium, si in contrahentibus malitia non suppleat aetatem, exigi septennium ultima die mathematico completum. Nam quando tempus a lege praescribitur propter aliquod periculum, quod infra huiusmodi praescriptum tempus subesse potest, servandum est usque ad ultimum complementum mathematicum seu metaphysice absolutum, ideo enim annus decimus sextus, ad faciendam professionem in Religione, a Tridentino praescriptus, debet esse mathematico completus, quia est praescriptus ad evitandum periculum quod intra hoc tempus subesse potest de minus maturo & de liberato consensu: Atque septennium in sponsalibus similiter praescriptum est ad evitandum pleni defectum iudicii, & libertatis, qui intra septennium subesse potest: Ergo ad valorem sponsalium, septennium usque ad ultimum diem mathematico completum esse debet, quando non constat quod malitia suppleat aetatem.

23 Dices: Ad contrahendum Matrimonium sufficit annus decimus quartus moraliter completus in viro, & duodecimus in femina: Ergo etiam ad contrahenda sponsalia, quae sunt dispositio ad Matrimonium, sufficit septennium moraliter completum.

Confirmatur: In favorem testamenti conceditur testatori ut decimus quartus annus, qui ad testandum requiritur, sit per ultimum diem tantum inchoatus: Ergo id etiam concedendum est sponsalibus praesertim cum hoc in eorum favorem cedat.

24 Respondeo, concessio Antecedente, nego consequentiam & paritatem, nam neque in matrimonio contrahendo, neque in testamento condendo, subest idem periculum quod subest sponsalibus, ne sine pleno consensu fiant, si infra completum septennium contrahantur. Fallum vero est quod additur, nempe in favorem sponsalium cedere, ut ultima die septennii tantum inchoata contrahantur; nam id favorabilius est sponsalibus, quod magis ad eorum libertatem conducit, scilicet ut contrahantur ultima die septennii mathematico expleta, quia certius est de contrahentium libertate & pleno iudicio.

25 Dices rursus: D. Thomas art. 2. ad 7. sic ait: Dicendum quod in sponsalibus etiam similiter si appropriantur contrahentes ad tempus septennii, contractus sponsalium habet robur, quia secundum Philosophum in 2. Physic. quod parum desit, quasi nihil desit videtur: Ergo ex D. Thoma valor sponsalium non obest, quod desint aliquot dies ad complendum septennium, subindeque ad valorem ipsorum, septennium moraliter completum sufficit.

26 Respondeo eo loco S. Doctorem loqui solum de casu in quo constat sufficientem usum rationis prevenire tempus septennii expleti, & malitiam suppleat aetatem; nam post verba in objectione relata, statim subjicit: Haec autem propinquitas a quibusdam determinatur ad tempus sex

mensium; sed melius est quod determinetur secundum conditionem contrahentium, quia in quibusdam magis acceleratur rationis usus, quam in aliis.

Quares tertio, quis rationis usus requiratur ad contrahenda sponsalia?

Respondet Sanchez, Amicus, & alii, sufficere illum 27 qui satis est ad peccandum mortaliter, idque probant, quia usus rationis qui sufficit ad obligandum se per votum simplex Religionis, potest etiam sufficere ad obligandum se per sponsalia, cum haec obligatio facilius auferri possit, quam illa; usus autem rationis inquit, qui sufficit ad mortale, sufficit ad obligationem voti.

Oppositum tamen docet expressis D. Thomas hic art. 2. ad 2. & ratio ejus est, quia ad peccatum mortale sufficit consensus in rem praesentem, ad sponsalia autem requiritur consensus in futurum: major vero rationis discretio necessaria est ad providendum in futurum, quam ad consentiendum in actum praesentem. Unde ad fundamentum Recentiorum, negatur subsumptum, propter eandem rationem; votum enim, cum sit de futuro, majorem usum rationis postulat eo qui sufficit ad peccandum mortaliter.

ARTICULUS III.

Resolvuntur breviter aliqua difficultates de obligatione ex sponsalibus proveniente.

28 Certum est sponsalia inducere obligationem ad Matrimonium contrahendum, cum omnis promissio valida, & acceptata, inducat obligationem faciendi id quod promittitur. Unde Innocentius III. cap. 2. de sponsalibus sic ait: Hi qui de Matrimonio contrahendo pure & sine omni conditione solum adhaerent, commendantur sunt, & modis omnibus inducendi, ut praestitam solum observent.

Dices: l. 1. cap. de Sponsalibus sic dicitur: Alii de sponsata, renuntiare conditioni, & nubere alii non prohibetur: Ergo Sponsalia non inducunt obligationem ad Matrimonium contrahendum.

Respondet Sanchez lib. 1. disp. 17. legem illam Cesaream fuisse tamquam injustam a Summis Pontificibus & Jure Canonico abrogatam. Sed verius cum Glossa dicendum, eam communi sententia non adversari, sed intelligi, desponsatam prohiberi, Sponsalibus ex consensu Sponsi renuntiat, alteri nubere. Possunt enim contrahentes, ex communi consensu, inita Sponsalia sibi mutuo relaxare, illique relaxatis, valide ac licite cum aliis contrahere.

Certum est etiam, obligationem illam ex Sponsalibus ortam, gravem esse, cum sit de gravi & in materia justitiae, utpote inducta per contractum onerosum; subindeque peccare mortaliter sponsum vel sponsam, si absque justa causa resiliat, ut docet D. Thomas hic art. 2. ad 2. his verbis: Dicendum quod ex tali promissione obligatur unus alteri ad Matrimonium contrahendum, & peccat mortaliter non solvens promissum, nisi legitimum impedimentum interveniat. Ex quo etiam constat posse ac debere cogi penitentem, negando illi absolutionem, quando vult resiliare sine justa causa, quia tamen est in statu peccati mortalis, atque adeo incapax absolutionis.

Haec sunt certa, & indubitata apud omnes Theologos & Jurisperitos. Sed dubitatur primo, an resiliens injuste a Sponsalibus, in foro externo per censuras, aliasque penas a Jure Ecclesiastico cogendus sit servare sponsum? Ratio dubitandi est primo, quia in cap. Requisitis de Sponsalibus, mulierem quae etiam cum juramento nuptias promiserat, monendam esse potius quam cogendam, Lucius Papa declarat, rationemque reddit, quia Matrimonia debent esse libera, & coactionis difficultas solent exitus frequenter habere. Secundo, quia Matrimonium contractum, & per violentiam contractum, non est verum Matrimonium: Ergo Sponsi cogi non debent ad Matrimonium.

Nihilominus dicendum est, regulariter, & per se loquendo, cogi posse ac debere injuste resilientem per censuras, aliasque penas, si Sponsalia jurata fuerint, siue non; per accidens tamen, illum non esse cogendum, quando periculum est, ne ex tali coactione sequatur gravia scandala, vel incommoda, puta mors uxoris, aut rixae perpetuae inter conjuges vel divortia.

Prima pars hujus resolutionis, quae est contra aliquos, 34 asserentes tunc solum resiliens a Sponsalibus cogendus esse, quando Sponsalia juramento confirmantur, probatur primo ex cap. Ex litteris 2. de Sponsalibus, ubi Alexander III. de quodam resiliens a Sponsalibus ait, non solum esse monendam, sed etiam Ecclesiastica censura compellendam, nisi rationabilis causa obliterit. Nec refert quod ibi loquatur de Sponsalibus juratis, nam solum ibi factum narrat, quod non est per modum juris ad reliquias casus trahendum.

Secundo, Jurex ex officio tenetur compellere ad reddendum cuique quod ei ex justitia debetur, est enim cultus justitiae: Sed contrahentes Sponsalia ita se habent ut Spon-



at Sponsus Sponsæ, & Sponsa Sponso debeat ex iustitia servare fidem, etiam si non juraverint: Ergo etiam si non juraverint, tenetur iudex eos compellere, cum a Sponsalibus iniuste resiliunt.

36 Tertio, cum Iudex Ecclesiasticus sit ex officio pastor animarum, quia forum Ecclesiasticum, etiam externum, in hoc distinguitur a Civili, quod per se ordinatur ad bonum spirituale, tenetur providere bonum spirituale Sponsi & Sponsæ: Sed ad bonum spirituale Sponsi & Sponsæ pertinet quod uterque adimpleat promissionem quam fecit contrahendo Sponsalia, alias enim uterque peccabit peccato infidelitatis & iniustitiae: Ergo per se loquendo iudex tenetur compellere Sponsos ad contrahendum Matrimonium, si citra legitimam causam Sponsalia adimplere recusent.

37 Quod vero per accidens interdum illi non sint cogendi, quod nimirum periculum est ne ex Matrimonii contrahendo sequantur gravia scandala vel incommoda, patet primo, quia cum ex sine defumenda sit ratio, & necessitas mediolorum, tunc solum Iudex Ecclesiasticus debet cogere Sponsos ad contrahendum Matrimonium, quando fini Matrimonii hoc expedit: Sed in hoc cogere non expedit fini Matrimonii, nimirum mutuo obsequio inter virum, & feminam, utpote quod in hoc casu omnino perturbari evidens est: Ergo &c.

Secundo, quia Iudex Ecclesiasticus non cogens tenentem in hoc casu, maxime providet juri partis innocentis, etiam postulantis Matrimonium, vitat enim ipsius grave nocendum: sicut si petenti proprium gladium ad se necandum Iudex denegaret.

Tertio, quia licitum est minus malum permittere ad vitandum majus malum: Sed majus malum est, scandala & perpetuas inimicitias inter Sponsam & Sponsam oriri, quam fidem Sponsaliorum frangi: Ergo hoc permitti potest, ut illud vitetur.

In illo tamen casu debet Iudex in utroque foro compellere Sponsam qui non vult servare fidem ad refarciendam damna etiam ex sola violatione promissionis provenientia, quales est quod femina ita repudiata, non tam facile inveniet virum alterum cui nubat, nisi augeatur ejus dos.

38 Ex his facile conciliari possunt rescripta Laici III. & Alexandri III. supra relata, quæ videntur inter se pugnantia: cum enim Laicus dixit non esse iniuste resiliendum cogendum, respexit ad graviora mala quæ ex injusmodi coactione probabiliter timentur, ait enim: Cum libera debeant esse Matrimonia, mœnda est potius, quam cogenda, cum coactiones difficiles solvant exitus frequenter habere. Quando vero Alexander dixit illum esse cogendum, respexit ad obligationem quam Sponsus habet a Sponsalibus sine causa non resiliendi, ut patet ex verbis illis: Si non acquieverit moniti, Ecclesiastico censuræ compellatur, ut ipsam (nisi rationabili causa obstitit) in uxorem recipiant. Ex quo patet solutio ad primam rationem dubitandi.

Ad secundam vero respondetur, primo, solam coactionem injusitam, qualis non est ea de qua loquimur, irritare Matrimonium. Secundo, Matrimonium illud ad quod Sponsus iniuste a Sponsalibus resiliens cogitur, esse simpliciter voluntarium, & liberum in sua causa, voluntarie enim & libere promittit futuras nuptias.

39 Dubitatur secundo, an quando in Sponsalibus, nullus præfigitur terminus ad Matrimonium contrahendum, ea incipant obligare statim ac contrahuntur? Affirmant Conink, Pontius, & alii: Probantque primo ex 14. regula juris in 6. qua se habet: In omnibus obligationibus, in quibus dies non ponitur, præsentis die debetur. Secundo, quia votum statim ligat a die qua emittitur: Ergo & sponsalia. Tertio sic arguit Pontius: Quando adimpletio promissionis est omni tempore utilis promissario, promittentem semper obligat ad eam adimplendam: Sed adimpletio sponsalitia promissionis est omni tempore utilis sponsæ cui facta est: Ergo semper obligat ad eam adimplendam, nisi ex causa iusta differatur.

40 Sententia tamen negans, quam tenent Sanchez, Amicus, & alii ex Recentioribus, videtur probabilior, quia id commune est omni debito, cujus solutioni non est certa dies præfixa, ut debitor non teneatur illud solvere, nisi a creditore requisitus, ex l. Debitoris præsentis, c. de pignor. juncta glossa: Ergo quando in sponsalibus nullus præfigitur terminus, ea solum obligare censentur, quando unus ex contrahentibus exigit promissionis impletionem, & Matrimonii celebrationem, nisi forte propter pudorem vel timorem petere non auderet, ut contingere solet feminis natura verecundis: in eo enim casu tenetur sponsus data proxima commoditate celebrare Matrimonium: quamvis sponsa id non exigere. Unde

41 Ad primum epistolæ sententia, dicendum est, in regula illa juris, in omnibus obligationibus, &c. subintellegi debere, presentis creditore, aliqui inutile foret mutuum, si ab ipso primo die mutuatarius obligaret ad illud resiliendum.

Ad secundum nego consequentiam & paritatem, cum enim Deus per se ipsum voti adimpletionem non petat, nec fit major ratio cur potius uno quam alio tempore votens illud adimpleat, ad illud implendum omni tempore tenetur quo commoda offertur occasio.

E contra vero cum contrahentes sponsalia, eorum adimpletionem per se ipsos postulare possint, eorum obligatio non urget, donec una pars ab altera eorum adimpletionem petierit. Adde quod adimpletio voti semper est grata Deo, & eoque gratior quo citior: celebratio vero Matrimonii non semper eo gratior vel utilior est sponsis, quo celerior; immo sepe utilior est uno tempore, quam alio, ob varias circumstantias occurrentes. Unde ad tertium, nego Minorem. Major etiam non est semper vera, nam licet omni tempore utilis sit pecunie solutio, tamen non semper obligat, nisi creditore requirente.

42 Tertio dubitatur, an obligatio quam habent desponsati tanta sit, ut si alteruter peccatum fornicationis committat cum alia persona, sit peccatum speciale, si ve alterius speciei a fornicatione? Partem negantem tenet Covarruvias lib. 4. decretor. part. 1. cap. 1. quem ex Recentioribus sequuntur Pontius, & Meratius, præbantque primo, quia ut hoc esset peccatum alterius speciei a fornicatione, oporteret quod ratione sponsalium sponsus haberet aliquod jus ad corpus sponsæ, & e converso: hoc autem verificari nequit, quandoquidem sponsalia nihil aliud sunt, quam mutua promissio futurarum nuptiarum; ex promissione autem non acquiritur jus ad rem promissam.

43 Secundo: Sponsus & sponsa non aliam contrahunt obligationem, quam in eandem tempore Matrimonii, cum non aliud sibi promittunt: Sed non faciunt contra hanc obligationem: quando fornicantur; Ergo fornicando non peccant contra iustitiam, sed solum contra castitatem & temperantiam.

44 Tertio, Theologi docent sponsalia se habere ad Matrimonium, sicut votum simplex Religionis, ad votum solenne: Ac si ille qui votum simplex Religionis, ante ingressum Religionis labatur in peccatum carnis, non peccat peccato mortali distincto a simplici fornicatione: Ergo nec desponsatus, cum ante Matrimonii celebrationem cum alia fornicatur.

Demum, si tale peccatum speciem differret a fornicatione, seu peccato intemperantie, ad aliam luxurie speciem pertineret: Sed hoc dici nequit, cum D. Thom. 2. 2. q. 154. enumerans omnes luxurie species, nullam illius faciat mentionem: Ergo &c.

45 His tamen non obstantibus sententia affirmans tale peccatum speciem a simplici fornicatione differre, communiter est apud Theologos, licet Sanchez lib. 1. disp. 3. id solum concedat quoad sponsam, & eos qui a ipsa fornicantur, non vero quoad sponsam, & eas qui fornicantur cum ipso: quia (inquit) injuria qua per fornicationem sponsi fit sponsæ, prædantem arbitrio, levis est, cum ex illa sponsa nullam incurrat infamiam. Pro resolutione.

Dico breviter, copula carnalis sponsæ & sponsi cum aliis, non solum est contra castitatem & temperantiam, sed etiam contra iustitiam in re gravi, subindeque transfert peccatum fornicationis in aliam luxurie speciem.

46 Ratio primum est, quia licet per sponsalia sponsus non habeat jus in re ad corpus sponsæ, nec sponsa ad corpus sponsi, siquidem hoc jus non traditur nisi per Matrimonium, bene tamen jus ad rem: quia promissio que est in contractu sponsaliorum obligans est iustitia, est promissio faciendi proprium corpus, sponsi vel sponsæ corpus, & non tradendi ipsum alteri, inde enim inferitur, quod si alteri ipsum tradat, sicut tradit per fornicationem, peccat peccato specialiter injustitiae.

47 Propterea loquendo de fornicatione sponsæ, per eam longe se viliores reddit, ita ut nullus honestus eam postea vellet ducere in uxorem: in quo certe gravem injuriam sponsi irrogat. Insuper sese periculo concipiendi exponit, & consequenter sponsam periculo alienam prolem tanquam propriam alendi, & heredem habendi. Loquendo vero de fornicatione sponsi, licet non sit tale periculum, neque inde ipse reddatur notabiliter vilior, sponsa tamen valde durum est, per se loquendo, videre sponsam, etiam tunc cum maxime deberet ab ipso amari, implicatam amore alterius, & in periculo suscipiendi ex ea liberos; qui postea communibus sumptibus alendierunt, quique ipsius oculis perpetuo offendent.

48 Ad primum vero ex motivis in contrarium, nego Minorem, ex obligatione enim contrahendi Matrimonium, orta ex sponsalibus, sequitur jus iustitiae in sponsa ad corpus sponsæ, & e converso, non quidem jus in re, sed jus ad rem, ut in prima probatione declaravimus. Unde

49 Ad secundum dico, sponsas dando jus ad rem in corpus suum, hoc ipso se obligare ad nihil faciendum illicite contra illud jus, quo alter iuste offendatur, subindeque ad non tradendum corpus suum alteri, sicut traditur per fornicationem.

Ad

50 Ad tertium respondeo, quod licet votum simplex Religionis & sponsalia in hoc conveniant, quod sicut votum simplex Religionis est promissio, votum vero solenne habet adjunctam traditionem, sic sponsalia habent rationem promissionis, Matrimonium vero rationem traditionis: differunt tamen in eo quod per votum simplex Religionis, utpote quod fit soli Deo, religio nullam jus iustitiae acquirit; at vero per mutuum promissionem qua fit in sponsalibus, quilibet sponsus acquirit jus iustitiae; quamvis imperfectum, ad corpus alterius.

51 Ad quartum respondent aliqui cum Paludano, peccatum a sponsis fornicationibus commissum, esse proprie adulterium, quia in l. uxor, par. 3. ff. ad legem Juliam de adulteris, dicitur, in sponsa etiam hoc idem peccatum esse vindicandum, quia nec Matrimonium qualcumque, nec spem Matrimonii violari permittitur.

52 Sed hæc responsio displicet, primo quia l. inter, §. i. eodem titulo dicitur, adulterium proprie in uxorem committi: Sed sponsa nondum est nupta. Ergo peccatum fornicationis cum ipsa commissum, non est proprie adulterium.

Secundo, quia in cap. Lex illa, §. q. 1. §. 6. Cum ego, definitur adulterium, violatio thori alieni: At fornicatio cum sponsa vel sponsa, non est thori alieni violatio, quia nondum eundem thorum habent: Ergo non est proprie adulterium. Nec Paludani sententia favet supra dicta lex, si uxor, quia talis lex potius utrumque peccatum distinguit, adulterium scilicet quo violatur Matrimonium, & fornicationem sponsæ, quia spes Matrimonii violatur. Unde dicendum est, tale peccatum reductive solum pertinere ad speciem adulterii, sicut sponsalia reducuntur ad Matrimonium, suntque Matrimonium inchoatum.

ARTICULUS IV.

Quibus de causis sponsalia dissolvi possint?

Varie solent assignari causæ, ob quas sponsalia possunt dissolvi, aliquas in hoc articulo declarabimus, alias vero in sequenti.

53 In primis ergo sponsalia inter puberes contracta, mutuo eorum consensu dissolvi possunt, ut docet D. Thomas hic art. 3. ad 5. & probat ex cap. Præterea 1. de sponsal. ubi Innocentius III. affirmat sponsos, si se invicem admittere noluerint, resiliere posse a contractu. Nec obstat quod addit, posse hoc in patientia tolerari, ne pejus eveniat, quasi tantum id permittat ut minus malum. Nam, ut recte ibidem S. Doctor observat, Pontifex adduxit exemplum eorum qui interposita fidei societatem inierunt, ait enim: Ad infans eorum qui societatem interposuissent fidei contrahunt, postea ad invicem sibi remittuntur &c. Sed illi possunt licite & jure sibi præstitam fidem remittere. Ergo & sponsi, mutuo consensu, licite possunt a sponsalibus resiliere.

54 Ratio etiam id suadet: Omnis enim contractus ex natura sua solubilis (cujusmodi est contractus Sponsalium) potest per eadem causas dissolvi, per quas potest valide fieri, si jus superius non resistat dissolutioni, ut hic non resistit, sed potius expresse permittit capite citato: Sed contractus sponsalium, mutuo contrahentium consensu fit: Ergo etiam mutuo eorum consensu dissolvi potest. Etque id verum, licet Sponsalia fuerint jurata, quia ut docet S. Thomas 2. 2. quest. 89. art. 9. ad 2. quando juramentum annexitur promissioni homini factæ, pendet ab illa, ut accessorium a principali, quo cessante, cessat accessorium: igitur cessante promissione, voluntate ejus cui facta est, juramentum amplius non obligat.

55 Dico etiam, sponsalia inter puberes contracta, quia impuberes, quamvis tales sunt, non possunt valide renuntiare sponsalibus, ut habetur cap. De illis, de desponsat. impuber. sed expectare debent usque ad pubertatem, in qua possunt reclamare, & sponsalia dirimere, ut dicitur eodem cap. & ante hanc ætatem nullus eorum dissentus a jure admittitur. Quod merito statutum fuit, ne propter illius ætatis inimiziam & inconsistentiam, cum alioquin præjudicio, sponsalia semel contracta, frequenter mutarentur; & simul hæc lege provideretur, ut si quis forte impuberes sponsalia contraxerint, quæ minus placeant aut expeditent, maturiori judicio, in nubili ætate adepto, corrigere possent. Si tamen impubes sponsalia juramento confirmavit, libertatem adeptus, tenetur ea adimplere, ut constat ex cap. Ex litteris 2. de sponsalib. ubi Alexander III. mandat, compellendum esse quemdam juvenem qui impubes sub juramento cum puella impubere Sponsalia contraxerat, ad servanda; quia periculosum est (inquit) contra suum juramentum venire. Juri Canonico concinit Civile l. finale ff. de liberali causa, ubi admittitur juramentum impuberis, & ad illud servandum cogitur puber factus.

56 Secundo, Matrimonium cum posteriori, sponsalia di-

rimit cum priori contracta, ut definitur cap. Sicut & c. si inter de sponsal. & cap. 1. de sponsa duorum. Quia nimirum quotiescumque duo vincula concurrunt simul in eadem persona, quorum nequit utrumque servari, fortius prævalet: Sed fortius est vinculum Matrimonii, quam vinculum sponsaliorum: Ergo conjugali obligatione superveniente, sponsalitia cessant.

57 Sed difficultas est & controversia inter Theologos, an quando alter desponsatorum contrahit Matrimonium cum alia, uxore mortua tenetur priorem Sponsam ducere, si ipsa velit, & adhuc innupta sit, subindeque vinculum sponsaliorum tunc non extinguatur, sed tantum suspensatur? Respondeo affirmative, quia obligatio sponsalium tunc penitus extingueretur, vel id esset ex natura rei, si ve jure ipso naturali, vel ex dispositione juris positivi? Non primum, quia solo jure naturali spectato, fortius vinculum & impedimentum superveniens, non extinguit priorem obligationem, sed tantum eam suspendit. Nec etiam secundum, quia jura citata dicunt, talem debere in Matrimonio contracto permanere, quamdiu durat, eoque durante, non teneri implere sponsalia, quia Matrimonium rescindi nequit.

Confirmatur: Qui vovit ingredi Religionem, posteaque contrahit & consummat Matrimonium, non propterea liberatur omnino ab obligatione voti, sed tenetur, mortua uxore, Religionem ingredi. Item si promittat agrum, quem postea tradidit Paulo, si Paulus eundem mihi testamentum leget, tenor illum Petro naturali spectato, resiliatur, cum res promissa & accepta semper clamet ad promissarium: Persona igitur sponsi, per sponsalium contractum promissa sponsæ, & per Matrimonium cum alia initum alienata, iterum sui juris facta, restitenda est priori sponsæ, cui fuerat per sponsalia promissa.

58 Dices: Quando aliquis vovit Religionem strictiorem, & profertur laxiorem, licet peccet profertendo laxiorem, tamen per solenne votum laxioris extinguitur votum simplex strictioris: Ergo similiter, licet qui uni desponsatur, Matrimonium init cum altera, peccet, tamen per tale Matrimonium, obligatio orta ex sponsalibus omnino extinguitur. Sed nego consequentiam & paritatem. Non valet enim exemplum de voto strictioris Religionis: tum quia de hoc est specialis dispositio juris cap. Qui post votum, de regulis juris in 6. ubi Bonifacius VIII. ad subvertendum hominum fragilitati, dispensat, ut votum simplex strictioris Religionis commutetur in solenne laxioris: tum etiam quia per simplex votum Religionis, nullum jus acquiritur Religioni, sed Deo tantum; & per consequens ex parte strictioris Religionis, nullum jus laeditur, si in laxiori fiat professio: cum vero desponsatus uni, Matrimonium contrahit cum altera, laeditur jus sponsæ per sponsalia acquisitum, quod proinde petiti refarciri, cum id possibile est.

59 Tertio, ubi constitutio Tridentini de clandestino Matrimonio nondum est recepta, priora sponsalia dissolvuntur per posteriora, copula subsecuta, quia per subsequenter copulam posteriora sponsalia transeunt in præsumptum Matrimonium, vi cujus priora dissolvuntur, non secus ac per quodcumque Matrimonium in facie Ecclesiæ celebratum, ut constat ex cap. In qui fidem, de sponsalib. præsumit enim jus eos maritali affectu se cognovisse, & consensisse in Matrimonio de presenti, sibi que invicem sufficienter id manifestasse.

60 Si autem quæras, an ubi receptum est Tridentinum, eo etiam posteriora sponsalia, subsecuta copula, dissolvant priora? Respondeo quod si posterior desponsata, per copulam sit damnum passa notabile, aut passura infamiam, nisi cum ea contrahatur Matrimonium, dissolvuntur priora sponsalia, non ratione posteriorum, quæ nulla sunt, nec ratione præsumpti Matrimonii, cum talis copula fornicaria sit, subindeque non possit præsumi facta affectu maritali; sed ratione damni quod posterior injuncta patetur; ad quod damnus reparandum vir magis obligatur, quam ad implendam promissionem datam priori sponsæ, præsertim cum ista, ut supponimus, non aliud patitur damnus, quam non exhibitionem rei promissæ.

61 Quarto, per fornicationem dissolvuntur sponsalia, si ve sponsa fornicata fuerit, si ve sponsus. Tum quia in sponsalitia promissione, quantumvis jurata, semper subintelligitur hæc tacita conditio, nisi sponsa aut sponsus in legem Matrimonii peccaverit. Tum etiam quia si potest vir propter fornicationem uxoris, iuste illam a se dimittere, a fortiori poterit sponsus, propter fornicationem sponsæ, illam ad se non admittere, ut ait Innocentius III. cap. Quemadmodum, de jurejurando. Eademque ratio est de sponsa fornicante, quia quantum ad violationem sponsalitia fidei, sponsus & sponsa ad paria judicantur, ut recte ait Panormitanus in caput citatum n. 4. Si vero tam sponsus quam sponsa fornicatus fuerit, non fit propterea inter ipsos delictorum compensatio, sicut inter conjuges adulterantes; sed sponsus fornicans ipsam fornicatam dimittere potest, quia inter impria delicta non cadit compensatio: at sponsus & sponsa fornicando, non



non sunt in pari delicto, cum in ordine ad Matrimonium, longe gravius crimen sit sponsa quam sponsi fornicatio, eo quod major infamia nota sit, sponsam fornicatam sponsam uxorem ducere, quam sponsam fornicatam sponso nubere. Unde diversa est ratio de fornicatione sponis commissa, quam de adulterio a conjugibus parato, quia in adulterio spectatur fides conjugalis, quae aequae a viro ac ab uxore frangitur, cum aequae uterque ad eam servandam per Matrimonium se obligaverit; in fornicatione vero a sponis commissa, non solum spectatur fidei violatio per sponsalia promissa, sed etiam infamia quae ex eisdem resultat; haec vero longe major, ut diximus, ex fornicatione sponse in sponsam, quam ex fornicatione sponsi in sponsam, derivatur.

Quod diximus de fornicatione corporea, eam nimirum esse causam sufficientem ad dirimenda sponsalia, dicendum est cum proportione, de fornicatione spirituali, per haereticum, vel apostasiam, vitiantem enim causam sponsalia dissolvendi praebet sponsus vel sponsa haereticam amplectens: tum propter periculum perditionis sponsi Catholici: tum propter periculum ne futura proles, patris vel matris haereticus inficiatur.

62 Quia, sponsus sufficientem habet causam sponsalia dissolvendi, ex eo tantum quod sponsa fuerit per vim abscissa ipsius culpa ab alio rapta; cum hic non tantum attendatur ad culpam, sed etiam ad infamiam, quae in eo casu in sponsi personam redandam; magnum enim dedecus sponsi est, habere uxorem, ab alio, etiam sine ipsius culpa, cognitam.

63 Sexto, dissolvuntur sponsalia per discessum unius e sponis, sine consensu alterius, in regionem remotam, cum mutatione domicilii. Tum enim licitum est parti relicta, contrahere cum alio, ut dicitur c. 5. de Sponsalibus ubi Alexander III. ea de re consultus ab Archiepiscopo Panormitano, sic illi respondet: De illis qui praesidio juramento promittunt se aliquas mulieres ducituras, & postea eis inagulis divitiarum terram, se ad alias partes transferentes, hoc tibi volumus innoscere, quod liberum erit mulieribus istis, si non est amplius in facto processum (hoc est si non sit vel de praesenti Matrimonium contractum, vel carnalis copula subsecuta) ad alia vota se transferre.

64 Ratio etiam suffragatur: nam hoc ipso quod sponsus in longinquas partes domicilium transferat, ex parte sua censetur a sponsalibus resilire, ac proinde sufficientem causam alteri praebet, ut possit alii nubere, seu, ut loquitur Pontifex, ad alia vota se transferre.

65 Dies: L. 2. cap. de sponsalibus dicitur quod si sponsus absit a sponsa, sed in eadem provincia, tenebitur sponsa biennio expectare, quo elapso alii nubere poterit. Si vero absit in diversa provincia, tenebitur expectare triennio, l. 2. de repudiis. Quae lex est non loquitur expresse de absentia in diversa provincia, de ea tamen intelligitur communiter juris Interpretes, idque docet utraque Glossa. Si autem causa absentiae sit necessaria expectandam esse ultra quadriennium & amplius, ait lex penultima ff. de sponsalibus ubi Cajus Jurisconsultus sic loquitur: Saepe iusta ac necessaria causa non solum annis, vel bienniis, sed etiam trienniis, & quadrienniis, & ulterius trahitur sponsalia possunt, veluti valescenda sponsi sponso, vel mortis parentum, aut capitalis criminis, aut longioris peregrinationis, quae ex necessitate sunt: Ergo saltem est, dissolvi sponsalia propter absentiam sponsi in partes remotas.

66 Respondit Pontius lib. 12. cap. 25. jus Civile non opponi juri Canonico, quia jus Canonico loquitur de eo qui se cum domicilio alio transfuit, jus vero Civile de eo qui ex causa necessaria alio migravit.

Sed contra: Citata lege 2. de repudiis sic dicitur: Liberum est filiae suae, si sponsam suam, post tres peregrinationis annos, expectandum sibi ultra non patet, & omnia spe huiusmodi consequentibus, Matrimonium facere, ne oportet tempus amittere. Ubi nulla mentione facta de causa si necessaria absentiae sponsi, decernit sponsam non obligari ultra triennium illum expectare. Ergo etiam in causa non necessaria jus Civile requirit ut sponsa triennium expectet, antequam ad alia vota transire possit, cum tamen jus Canonico nullum petat determinatum tempus, sed permittat sponsae ad alia vota transire, mox ut illi consistit de discessu sponsi in partes longinquas, sine spe proximi reditus. In cuius confirmationem suppletur Gabriellis quaest. 2. art. 2. casu 3. refert hunc casum: Dum quidam reus suspendendus esset, quaedam virgo, ut illum a praesenti morte liberaret, sibi in sponsam dari petiit, cum quo contractis de futuro sponsalibus, auget, nec, diligenter quaesitus, amplius inveniri potuit. Sponsa ad Judicem Ecclesiasticum accurrit, facultatem petens, ut cum alio contrahere possit. Cajus voto indultum est, non expectato biennio, lege civili praescripto. Unde

67 Melius respondetur cum Navarro, Panormitano, Covarruvias, Soto, Sanchez, & aliis, juris Canonici dispo-

sitionem in hac materia diversam esse a dispositione juris Civilis, iuxta Civile per Canonico corrigi & in causis Matrimonii magis standum esse dispositioni juris Canonici quam Civilis; cum enim Matrimonium in lege Evangelica habeat rationem Sacramenti, decisio controversarum ad illud spectantium, magis pertinet ad Judices Ecclesiasticos, quam saeculares. Unde in Tridentino sess. 24. can. 12. controversia Matrimonii committuntur Judicibus Ecclesiasticis, qui supponuntur Canonum peritiam habere.

Si autem quaeras, cur haec in parte discordet utrumque jus, & cur jus Canonico latius sponse facultatem faciat cum alio contrahendi, quando non est spes de proximo reditu sponsi; jus vero Civile jubeat sponsam biennio reditu sponsi expectare, si sit in eadem provincia, & triennio, si in diversa provincia commoretur; respondeo cum Panormitano, & aliis, jus Canonico per hoc intendere vitare periculum fornicationis, quod incurere posset sponsa, si diutius deberet expectare; jus vero Civile in sponsalibus, ut & in reliquis contractibus, publicam duntaxat utilitatem attendere; nec bonum aut damnum spirituale ipsius sponse respicere, sicut jus Canonico.

Septimo dissolvuntur sponsalia per lapsum temporis Matrimonio contrahendo praesertim, tunc enim pars cui fides servata non fuit, libera manet, ut colligitur ex cap. si cur ex literis, de sponsalibus, ubi Innoc. III. loquens de viro, qui post sponsalia cum una, diu post contraxerat Matrimonium cum altera, jubet eum convenienti poenitentia mactari, Quia primam fidem irriter fecit, nisi forsus in juramento suo sponsalibus apposito, certum terminum, intra quem dicitur se duceret in uxorem praesertim, nec per eum steterit, quin ad statutum terminum, Matrimonium consummaverit. Quibus verbis declarat Pontifex, hunc liberum esse a sponsalibus, modo per eum non steterit, quin praesertim Matrimonium celebratum fuerit.

Ut autem haec decisio Pontificis melius percipiatur, & concilietur jus Canonico cum Civili & cum lege Civilis ff. de receptis arb. ubi Jurisconsultus decidit, non eo ipso quod praesertim termino debitum quis non solvit, etiam si per ipsum non steterit, liberari ab obligatione solvendi. Diligenter observandum est duobus modis posse sponsum terminum contrahendi Matrimonium sibi praesertim. Primo ad sollicitudinem obligationem sponsalium contractus antea jam conclusi: & tunc temporis lapsu non solvitur obligatio celebrandi Matrimonium. Secundo, ad instar conditionis, qua non subsecuta, dissolvitur prior contractus, & finitur obligatio, ita ut altera non remaneat, sicut fieri solet in votis aut praesertim designantibus onus aliquod dari: & tunc per lapsum temporis solvitur obligatio orta ex sponsalibus. Declarat igitur Pontifex, quod si hoc secundo modo sit terminus a sponis praesertim, non esse viro, qui post datam fidem priori, cum alia contraxit, poenitentiam imponendam, subinde quoque dissolvi sponsalia per lapsum temporis, hoc secundo modo praesertim. Lex vero Civilis solum intendit, quod quando terminus solvendi debitum fuit praesertim ad sollicitudinem obligationis implementum, eo elapso, obligatio solvendi non extinguitur: Nam in hoc (inquit §. 2.) sunt duo praesertim, unum pecuniam dari, aliud intra Kalendas dari.

Advertendum est etiam cum Baffio Pontio lib. 12. c. 16. num. 4. communiter praesumendum esse, talem fuisse sponforum, certum terminum sponsalibus praesertim, intentionem, ut voluerit elapso tempore finiri obligationem; quia nolunt contrahentes dicitur obligari & expectare, cum ex longa mora sepe imminet periculum amittendi occasionem melius nubendi, vel incidendi in fornicationem. Unde Glossa in citatum cap. siens, sic ait: Quia Matrimonium non capit tantam dilationem, propter periculum fornicationis, ideo ubi terminus apponitur, ultra terminum ad contrahendum non tenetur.

Octavo dissolvuntur sponsalia per superveniens impedimentum dirimens, propter quod scilicet sponsus nequeant valide contrahere Matrimonium, vel si alter sponforum copulam habeat cum consanguineis alterius in primo aut secundo gradu, ex quo oritur impedimentum affinitatis irritans Matrimonium, vel si sponsus contrahat cum Sponsa cognatione spirituales, filium ejus de sacro fonte, vel de christinate, suscipiendo: impedimentum enim Matrimonium dirimens, a fortiori dirimit Sponsalia, quae sunt ad Matrimonium dispositio.

Notat vero Baffius Pontius lib. 12. cap. 17. post Hostiensium, Rebellum, Toletum, & alios, non solum impedimentum dirimens, certum, sed etiam publica fama vulgatum, sponsalia dissolvere; magnum quippe causaretur in populo scandalum, si inter tales contraheretur Matrimonium.

Si autem quaeras, an qui contraxit tale impedimentum, teneatur petere dissolutionem? Respondeo teneri, quando impedimentum sua culpa contraxit, quia qui

sua culpa factus est impotens in praedictum alterius tenet impotentiam a se tollere, ut alteri iniuste laeso satisficiat; secus vero, quando impedimentum ejus culpa contractum non est, ut si sponsus sponse filium in extrema necessitate baptizet.

Dixi autem notanter, impedimentum dirimens, superveniens sponsalibus, ea dissolvere, quia impedimenta solum prohibentia Matrimonium, non irritant sponsalia, excepto voto simplicis castitatis, de quo dicemus articulo sequenti.

74 Nono omnis causa rationalis, subsequens sponsalia, quae si praesertim, impedivisset communitur & merito personas prudentes & boni sensus, ne contraherent, dissolvit contracta, ut patet ex cap. Quomodo de iurjurando, ubi causae jurata sponsalia dissolvendi recensentur lepra, paralysis, oculorum aut nasi amissio, idem dicendum de phthisi, aut perniciosa morbo, reddente notabiliter indonem ad debitum conjugale solvendum. Adhuc aliqui oris maleolentiam, quando medicorum arte tolli non potest. Notabilis etiam morum asperitas vel scelerata alterius, si post contracta sponsalia cognita fuerit, est causa sufficiens ad ea dirimenda. Item notabilis mutatio in divitiis, vel notabilis fama ac estimationis jactura, & graves inimicitiae inter sponforum parentes, quae ex Matrimonio futurae timentur, iustam & sufficientem causam praebet sponsalia dissolvendi. Demum, quae sufficienti ad divortium inter conjuges obtinendum, a fortiori sufficienti ad dirimenda sponsalia.

Decimo, omnis causa, quae superveniens sponsalibus sufficienti est ad ea dirimenda, iam praecedens, probabiliter ignorata, erit sufficiens, ubi cognita fuerit, ad ea dissolvenda; habet enim de se quod sit causa sufficiens ad ea dirimenda, solumque requiritur cognitio, ut condicio applicans obiectum. Dixi, probabiliter ignorata, quia si facile potuit a contrahente sciri, eam non cognoscendo, censetur jure suo cessisse, subindeque non poterit postea eam allegare ut sufficientem ad sponsalia dissolvenda.

ARTICULUS V.

An per solum ingressum in Religionem, & per simplex votum castitatis, sponsalia dissolvantur?

75 Certum est, sponsalia dissolvi per professionem in Religione approbata; obligatio enim sponsalium non est tanta, quanta est obligatio Matrimonii rati, quamvis nondum consummatum, & tamen Matrimonium ratum, inconsummatum, dissolvitur per professionem in Religione, ut dicitur cap. Ex publico, de conversione conjugatorum. Solum ergo est difficultas, & controversia inter Theologos, an sponsalia dissolvantur per solum ingressum Religionis, ante professionem, vel ea non secuta, & per votum simplex castitatis?

77 Prima sententia simpliciter affirmat, hoc ipso dissolvi, ita ut pars utraque libera maneat ab obligatione inveniendi inter se Matrimonium. Ita Sylvester, Navarrus, Tolet. Sanchez, & alii. Secunda est omnino contraria simpliciter negat dissolvi sponsalia, nisi per ipsam professionem. Hanc tenent Richardus, Durandus, Paludanus, Covarruvias & plures alii. Tertia, quae media est, asserit per solum ingressum Religionis solvi sponsalia ex parte ejus tantum qui in saeculo remanet, non vero ex parte ejus qui Religionem ingreditur. Ita Petrus Ledefina quaest. 43. de Matrimonio art. 3. dub. 2. Henriquez, Conink, Pontius, Amicus, Matrimonius, & alii.

78 Quantum vero ad votum simplex castitatis, opinio negans per ipsum sponsalia dissolvi, est Panormitani, Sylvestri, Navari, Paludani, Valentis, Becani, Sanchez, Conink, & aliorum. Affirmativa vero est D. Thomae quaest. 53. art. 1. ad 1. quem sequuntur Cajetanus in summa verbo Perjur. promiss. Sotus in 4. distinct. 27. quaest. 2. art. 5. Suarez tom. 2. de Relig. lib. 2. de voto cap. 4. Azorius tomo 1. moral. instit. lib. 11. cap. 21. quaest. 10. Sylvius in additionibus ad 3. part. quaest. 43. art. 3. Petrus de Ledefina, Pontius, Amicus, & plures alii.

§. I.

Duplici conclusione utraque difficultas resolvitur.

Dico primo, per ingressum Religionis sponsalia solvantur ex parte ejus qui in saeculo remanet, non vero ex parte ejus qui religionem ingreditur.

79 Prima pars videtur certa, tum quia eo ipso quod sponsus vel sponsa Religionem ingreditur, sponsalibus renuntiat: Ergo eo ipso manet alter ab obligatione liber. Tum etiam, quia notabilis mutatio in persona sponsi, vel sponsae, sufficit ad solvenda sponsalia, ut constat ex dictis articulo praecedenti: Sed in personam ingredien-

tis Religionem fit notabilis mutatio, vulgo enim censetur magnum dedecus, inire Matrimonium cum eo qui fuit Monachus, aut cum ea quae fuit Monialis: Ergo quando unus ex sponis Religionem ingreditur, alter qui manet in saeculo, hoc ipso liber est, propter notabilem mutationem status partis alterius.

Secunda vero pars, licet non sit ita certa, est tamen 80 valde probabilis, videturque esse D. Thomae hic art. 3. ad 1. ubi reddens rationem, cur per Religionis ingressum sponsalia dirimantur, ait, quia est mors spiritualis, scilicet ratione professionis, per quam Religiosis saeculari vitae moritur. Ergo censet, ingressum Religionis, quem non sequitur professio, non dirimere sponsalia, ex parte ejus qui Religionem ingreditur.

Ratio etiam id suadet: cum enim sponsalia ex iustitia 81 contrahentes obligent, nisi sit expressum jus, vel ratio manifesta, quae eos a tali obligatione liberet, asserendum non est, ipsos ab ea liberari, naturali justitiae debito prevalente: Sed nullum jus ut ratio manifesta assignari potest ex parte ingredientis Religionem, sed solum ex parte remanentis in saeculo, nimirum notabilis status & personae mutatio in altero facta: Ergo per ingressum Religionis non solvantur sponsalia ex parte ejus qui Religionem ingreditur, sed solum ex parte illius qui in saeculo remanet. Major patet, Minor probatur. Nam cap. 2. de conversione conjugatorum, quod solum citatur ab Adversariis, loquitur de professione & de Matrimonio rato; ex quo non valet conclusio ad sponsalia respectu probationis, quia in huiusmodi rebus pendentes a dispositione juris positivi, non licet ab uno ad aliud argumentari, nisi evidenter appareat talem esse mentem legislatoris; vel unum in alio includatur tanquam aliquid minus, sicut obligatio sponsalium includitur in obligatione Matrimonii tanquam aliquid minus: unde merito censetur dissolvi per professionem, per quam dissolvitur ipsum Matrimonium ratum & nondum consummatum. Quod vero nulla possit assignari ratio manifesta quae suadeat sponsalia dirimi per solum ingressum Religionis, constat ex solutione objectionum.

Dico secundo: Votum simplex castitatis sponsalia dirimit ex parte utriusque contrahentis. Ita D. Thomas hic quaest. 63. art. 1. ad 1. ubi expresse dicit, loquens de voto continentiae simplicis, quod propter ipsum sunt sponsalia dirimenda.

Ratio etiam suffragatur: in primis enim quod per votum castitatis unius dissolvantur sponsalia ex parte alterius, manifestum est: tum quia votens eo ipso renuntiat sponsalibus, quae cum castitatis voto licite adimpleri non possunt; tum etiam, quia tale votum novum affert gravamen alteri tantum subeundum (quod adversatur naturae Matrimonii, in quo onera quoad debitum conjugale sunt paria) nam qui vovit, non potest petere, sed tantum reddere: At saepe onerosum est, praesertim feminis naturae verecundis semper petere: Ergo &c.

Quod vero etiam ex parte votentis dissolvantur sponsalia, probatur ratione quam assignat D. Thomas loco citato. Quando concurrunt duo vincula incompatibilia, fortius debet prevalere: Sed vinculum voti est simplicis castitatis, est incompatible cum sponsalibus, ut constat, quandoquidem evidens est, quod non possunt ambo servari; & est fortius, quia obligat Deo, sponsalia vero homini tantum. Ergo praevalet sponsalibus, ipsaque superveniendo, ea dissolvit.

Confirmatur. Cum contrahentes per sponsalia non intendant sibi praedictum asserere, nec se reddere impotentes ad eligendum statum perfectiorem, in ipso sponsalio contractu ex parte utriusque contrahentis, tacite subintelligitur haec conditio, nisi perfectiorem statum eligeret: Sed status castitatis sive continentiae superat in perfectione statum conjugalem: Ergo in contractu sponsalio semper subintelligitur ista conditio, nisi eligam statum continentiae seu castitatis, subindeque per votum simplex castitatis sponsalia ex parte utriusque partis dissolvuntur. Quod non solum intelligitur de sponsalibus simplicibus, sed etiam de juratis, cum juramentum sequatur naturam & conditionem actus cui apponitur, & consequenter conditio inclusa tacite in actu, includatur etiam in juramento.

§. II.

Solvuntur alia objectiones.

82 Obiicit primo contra primam conclusionem: Sicut se 85 habent sponsalia ad Matrimonium, ita probatio, seu novitiatus ad professionem: est enim via ad professionem, sicut sponsalia sunt via ad Matrimonium: Ergo sicut per professionem dissolvitur Matrimonium ratum, ita per ingressum Religionis, & probationem, seu novitiatum, sponsalia debent dissolvi.



Confirmatur. Minus requiritur ad dissolvenda sponsalia, quam ad dirimendum Matrimonium ratum: Ergo si ad illud dirimendum sufficiat professio, ad ea dissolvenda, probatio sine ingressu in Religionem sufficit.

86 Confirmatur amplius: Id credit in favorem status religiosi, ut non tantum professio, sed ipse ingressus sponsalia dirimat: Ergo ita sentiendum est, & hae sententia praesertim alteri, statui religioso minus favorabili.

87 Ad objectionem respondeo, dato Antecedente, negando Consequentiam: non valet enim argumentum a similitudine in his quae a jure positivo pendunt: cum igitur hae pendeant a Jure positivo, ac de ingressu Religionis respectu sponsalium, nihil in jure habeamus, bene autem de professione respectu Matrimonii rati & non consummati, ab uno ad alterum non licet arguere.

88 Ad primam confirmationem, nego etiam consequentiam, eilo enim minus obligent sponsalia, quam Matrimonium ratum, nondum consummatum, subindeque minor sufficiat causa ad illa dissolvenda, quam ad illud dirimendum: quod tamen ingressus in Religionem sit causa sufficiens, ex jure nobis non constat; unde id non est temere asserendum, licet in favorem status Religiosi cedere videatur; alioqui etiam dicendum esset, per solum Religionis ingressum omnia vota prius facta, omniaque debita in saeculo contracta, penitus extinguuntur, quod memo haecenus dixit. Sicut ergo vota simplicia de rebus aliis, ante ingressum Religionis facta, suspenduntur quidem per ingressum Religionis, sed reviviscunt per egressum, ita & obligatio orta ex sponsalibus, suspenditur quidem tempore probationis, seu novitatus; unde eo tempore non potest sponsus Religionem ingressus, a sponsa in saeculo remanens revocari, habet enim jus per novitatum Religionem experiendi; si tamen e Religione egrediatur, & ad saeculum redeat, reviviscit talis obligatio, & ad sponsam redire tenetur, & cum ea Matrimonium contrahere, si ipsa id exigat. Et certe aequum videtur, quod non gaudeat privilegiis Religionis, qui in ea non permanet, redeatque ad saeculum cum suis oneribus. Per quod patet ad secundam confirmationem.

89 Obijcies secundo: Major est obligatio voti simplicis Religionis, quam sponsalium, cum ista per illam dirimatur: Atqui prior obligatio dissolvitur per ingressum in Religionem bona fide, id est ex animo permanendi, quamvis ingressus postea resiliat, expertus itatum illum sibi non convenire: Ergo etiam per ingressum Religionis obligatio ex sponsalibus orta dissolvitur penitus, nec redit per egressum ex illa.

90 Respondeo quod licet obligatio voti simplicis Religionis major sit quam obligatio orta ex sponsalibus, tamen per ingressum in Religionem illa dissolvitur, non ista: quia nimirum ingressus in Religionem non est impletio obligationis sponsalium, bene tamen voti simplicis Religionis: neque enim ille qui tale votum emittit, plus vovet, quam ingredi Religionem, & experiri bona fide, utrum id sibi melius sit, magisque expediens; unde fecit votum dandi centum nummos in elemosinam, cessat, postquam illi in pauperes impensit fuerunt: ita & votum simplex Religionis, postquam qui illud emisit, bona fide Religionem ingressus est, licet in ea non perseveret.

91 Obijcies tertio contra secundam conclusionem: In capite *Primum*, §. qui obijciunt vel vovente, mulieri, quae ut dissolveret contracta sponsalia, castitatem voverat, dicitur injungenda penitentia, ob mentis fidem, et quo permittitur inire Matrimonium: Ergo per votum simplex castitatis non dissolvantur sponsalia, ex parte voventis.

92 Respondeo, idcirco dici a Pontifice injungendam esse huic mulieri penitentiam, quia votum illud non sincere dedit, sed fraudulenter coegerat, ut nimirum non coegerat sponsae cui fidem praestiterat copulari. Illi vero permittitur cum eo inire Matrimonium, tali voto non obstante, quia non statuerat servare continentiam, sed alteri nubere volebat: unde ait Pontifex, *Tactus est se ut presens mulier post fidem daret, & votum simpliciter oblatum, Matrimonium contrahat, quam fornicationis reatum incurrat.*

93 Obijcies quarto: Deus non acceptat promissionem rei alteri prius debite, & in ejus praedictum: Sed votum castitatis emissum ab eo qui sponsalia contraxit, est promissio rei alteri debite, nimirum integritatis corporis, cujus usum promisit sponsae: Ergo irritum est ejusmodi votum, & consequenter non solvit sponsalia ex parte voventis.

94 Confirmatur: Ideo secunda sponsalia etiam jurata non dirimunt priora, quia sponsa prima habet jam jus acquisitum ad corpus sponsi: Sed in nostro casu habet sponsa jus acquisitum in corpore sponsi, antequam ipse voveat castitatem: Ergo tale votum ejus, non dirimit sponsalia ex parte illius.

95 Ad objectionem respondeo, distinguendo Majorem:

Deus non acceptat promissionem rei alteri debite absolute, concedo. Rei alteri debite tantum sub conditione quae non adimpletur, nego. Similiter distinguo Minorem: Votum castitatis emissum ab eo qui sponsalia contraxit, est promissio rei alteri debite, sub conditione quae non adimpletur, concedo. Rei alteri debite absolute, nego. Non enim sponsus ex contractu sponsalium obligatur absolute ad tradendum usum sui corporis sponsae, sed tantum sub conditione implicita, quod scilicet nolit transire ad statum Matrimonio meliorem, qualis est status castitatis, ut paragrapho precedenti declaravimus. Unde.

Ad confirmationem, negatur consequentia & paritas. Disparitas est quod status secundi sponsalium non fit perfectior statu Matrimonii; at vero status castitatis excedat illum in perfectione.

Quaestio 44. Supplementi explicat D. Thomas definitionem Matrimonii, & hujus nominis etymologiam, & quaerit an Matrimonium sit in genere conjunctionis. Sed de his plura diximus disp. 1. unde quaestioem hanc praetermittimus.

DISPUTATIO IV.

De consensu Matrimonii.

Ad quae. 45. Supplementi, & tres sequentes.

Considerata causa ad Matrimonium disponente, & ad illud praerequisita, nempe contractus sponsalium, consequens est ut de causa efficiente illius, nimirum consensu, cum S. Doctore differamus, ejusque necessitatem & qualitates, articulis sequentibus breviter declaremus.

ARTICULUS PRIMUS.

An ita ad Matrimonium necessarius sit proprius conjugum consensus; ut nulla auctoritate humana vel divina, sine illo fieri absolute nequeat?

§. I.

Quibusdam praemissa referuntur sententiae.

Notandum primo, seu potius recolendum ex articulo primo primae disputationis, Matrimonium posse sumi dupliciter, nempe casualiter, proprio contractu quo conjuges sibi mutuo tradunt dominium proprii corporis in ordine ad copulam, & formaliter, pro ipsa conjunctione & vinculo quod sequitur ex tali contractu, in quo vinculo loco citato diximus essentiam Matrimonii consistere.

Notandum secundo, seu potius supponendum ut certum & indubitatum apud omnes, quod si Matrimonium sumatur primo modo, non potest illi modo fieri sine consensu partium, cum contractus Matrimonii, utriusque conjugis consensum includat formaliter; & causa formalis nullo modo possit ab extrinseca causa suppleri.

Tertio supponendum est, consensum contrahentium esse ita necessarium ad Matrimonium formaliter sumptum, ut dicit conjunctionem & vinculum, quod de lege Dei ordinaria sine illo esse non possit. Primo, quia effectus particularis non fit secundum legem Dei ordinariam, nisi concurrens causa secunda proxima, ad eam secundum eandem legem ordinata, ut patet inductione: consensus autem viri & feminae est causa proxima vinculi & obligationis Matrimonii, per se ad illam ordinata, secundum legem Dei ordinariam. Secundo, Matrimonium sumptum pro vinculo, consistit in dominio utriusque conjugis in corpore alterius, in ordine ad copulam: At jus naturale hoc docet, ut res quae est in potestate alicujus, non detrahatur, nec subiciatur dominio alterius, absque illius consensu: Ergo Matrimonii vinculum sine consensu viri & feminae, saltem de lege Dei ordinaria, esse non potest.

Quarto: Matrimonium ita contrahi debet, saltem secundum legem Dei ordinariam, ut mutua caritas & benevolentia conjugum possit consistere, & conservari: Hoc autem, ordinarie saltem, fieri nequit, absque mutuo conjugum consensu: Ergo ille, saltem de lege ordinaria, necessarius ad Matrimonium requiritur. Unde Nicolaus Papa ad consulta Bulgarorum, & referatur cap. *Sufficiat*. 27. quest. 2. ait, quod si solus in nuptiis consensus defuerit, cetera omnia frustrantur. Et Innocentius III. cap. *Tua nos* de sponsal. in fine, affirmat Matrimonium cum errore circa substantiam persone contractum, esse invalidum, quia defuit consensus, sine quo cetera nequeunt servari per se in corpore conjugale. Item Florentinum in Decreto Eugenii dicit causam efficientem Matrimonii (sumpti pro vinculo) esse mutuum consensum conjugum, regulariter per verba de praesenti expressum.

Nec

Nec solum requirit, de lege Dei ordinaria, consensum, Matrimonium qua contractus est, aut conjunctio & vinculum ex illo resultans, sed etiam qua Sacramentum est. Primo, quia hoc Sacramentum in contractu fundatur, unde ipse consensus, qui necessarius est ad contractum, etiam necessarius est ad Sacramentum. Secundo, quia nullum Sacramentum perficitur absque propria voluntate, & intentione ministri. Sed contrahentes sunt ministri non solum contractus civilis, sed etiam Sacramenti Matrimonii: Ergo sine illorum consensu, Sacramentum Matrimonii, saltem de lege Dei ordinaria, perfici nequit.

Solum ergo difficultas est & controversia inter Theologos, an Matrimonium sumptum formaliter, ut dicit conjunctionem & vinculum, ita necessarius requiratur proprius conjugum consensus, ut nulla auctoritate divina vel humana, sine illo absolute fieri nequeat? Prima sententia negat id esse possibile tam respectu divinae quam humanae auctoritatis. Ita Pontius lib. 2. cap. 3. Filiucius tract. 10. de Matrimo. part. 1. cap. 3. num. 68. Sanchez lib. 2. de Matrimo. disp. 26. qui etiam citat supplementum Gabrielis, & Adrianum, qui loquitur de contractu Matrimonii, non de vinculo ex tali contractu resultante. Secunda & contra astrict, non solum Deum de potentia absoluta, sed etiam potestatem humanam, Civilem, vel Ecclesiasticam, posse efficere vinculum Matrimonii, absque consensu conjugum. In hac sententiam inclinare videtur Victoria in relectione de Matrimo. part. 1. num. 7. Tertia vero, quae communis est apud Theologos, latetur quidem nullam auctoritatem & potestatem humanam posse sine consensu conjugum Matrimonii vinculum efficere; asserit tamen Deum id posse, de absoluta potentia.

§. II.

Duplici conclusione vera sententia statuitur.

Deo primo, vinculum Matrimonii, de potentia Dei absoluta, posse fieri absque consensu ipsorum conjugum.

Hanc conclusionem multi probant hac ratione: Consensus viri & feminae non est causa formalis, sed effectiva vinculi matrimonialis, ut supra ex Florentino vidimus: Sed Deus potest supplere vicem cujuslibet causae efficientis create: Ergo potest vinculum Matrimonii absque conjugum consensu efficere. Verum haec ratio multas instantias patitur: nam actus bonus est causa efficiens meriti, & actus generationis relationis paternitatis, & quavis potentia vitalis est principium effectivum sui actus; & tamen Deus non potest meritum efficere absque proprio consensu merentis, nec relationem paternitatis in generante absque proprio actu generativo; neque actionem vitalem absque proprio influxu principii vitalis: Ergo ex eo quod consensus viri & feminae non sit causa formalis, sed tantum effectiva vinculi matrimonialis, non recte colligitur, Deum absque consensu ipsorum conjugum, posse tale vinculum efficere. Haec ergo ratio praetermittitur.

Probat conclusio hoc dicitur: Ideo consensus viri & feminae requiritur ad vinculum Matrimonii, quia in quolibet Matrimonio vir transfert dominium sui corporis in potestatem feminae, & femina dominium sui corporis in potestatem viri. Sed Deus, non expectato conjugum consensu, potest dominium corporis feminae transferre in potestatem viri, & e converso, cum sit absolutus dominus humani corporis & actus hominis, & majorem habeat potestatem in corpora conjugum, quam habeant ipsi conjuges; sicut potest res alias transferre de uno in alium, sine dominorum consensu, ut bona Aegyptiorum ad Israelitas: Ergo Deus de potentia absoluta potest vinculum Matrimonii absque viri & feminae consensu efficere, praesertim, cum possit facillime eos quos sua voluntate conjunxerit, ad amorem mutuum excitare, & ad pacem atque concordiam perpetuam, multo majorem, quam si propria voluntate contraxissent. Unde Sanchez non loquitur consequenter ad sua principia, cum disput. 26. num. 2. ait: *Deum posse dare viro potestatem in corpore feminae, & e converso, absque illorum consensu; quia Deus habet majus dominium in conjugum corpus, quam ipsi met: cum ergo possit ipsi, eo quod sunt domini proprii corporis, dominium illud transferre; a fortiori poterit Deus.*

Quod si quaeras, an Deus aliquando hoc fecerit? Respondet Victoria supra citatus, hoc fecisse in Matrimonio Adami & Eve, nec non in conjugio Osee & mulieris fornicariae; idque quia Scriptura non commemorat, eos in matrimonio consensisse.

Verum, quamvis valde probabilis sit, id in matrimonio Osee contigisse, ut indicat S. Thom. 1. 2. qu. 100. art. 8. ad 2. ubi ait, quod Osee accedens ad uxorem fornicariam, *Theol. Geneat.* Tom. V.

vel mulierem adulteram, non est mochaus, nec fornicatus, quia accessit ad eam qua sua erat secundum mandatum Dei, qui est auctor institutionis Matrimonii; non est tamen creditibile, quod Deus ea auctoritate & suprema potestate quam habet in humana corpora, ipsosque homines, in matrimonio illo quod aliorum exemplar, & norma futurum erat, scilicet in matrimonio primorum parentum, usus fuerit: sed ad suavem Dei providentiam spectat, quod tale matrimonium nuptio Adami & Eve consensu factum fuerit. Addo quod, si desponsatio Verbi cum humanitate, non est facta sine consensu Beatae Virginis; multo minus desponsatio primorum parentum, absque mutuo eorum consensu, quandoquidem ista erat onerosa, non vero illa.

Dico secundo, nullam potestatem humanam, civilem, vel Ecclesiasticam, posse efficere vinculum matrimonii, sine consensu conjugum.

Hanc conclusionem probant aliqui ex eo quod si posset Respublica aliqua humana causare vinculum matrimonii, sine consensu partium, posset & eadem auctoritate ipsum dissolvere, contra illud Matthaei 19. *Quod Deus conjunxit, homo non separet.* At haec ratio non urget: facile enim responderi posset, quod sicut ipsi conjuges habent potestatem ad causandum mutuo consensu vinculum matrimonii, sed non ad illud dissolvendum; ita Respublica humana, civilis, vel Ecclesiastica, potest sine consensu partium, conjugum vinculo virum & feminarum conjungere, quamvis postea tale vinculum dissolvere nequeat, eo quod illud sit jure divino, & Christi institutione, insolubile.

Alii probant ex eo quod nulla Respublica possit conferre jus strictae justitiae in corpus alterius ad actum generationis. Verum cum possit Respublica conferre jus uti supra libertatem alterius, consequendo animum servum, alterum dominum, cui non poterit jus corporis unius transferre in alterum, & vice versa, subindeque eos matrimonio copulare? His ergo rationibus praetermissis, vel in sua probabilitate relinquitur.

Probat conclusio hoc dicitur: Vinculum matrimonii licet non dicat essentialiter mutuum amorem conjunctionem per mutuum conjugum amorem, ut patet in his qui divorcio disjuncti sunt, illam tamen commaturaliter exigit: unde solus ille potest efficere vinculum conjugale, qui mutuum amorem & obsequium inter conjuges necessarium ad probis educationem, potest in eorum cordibus excitare & causare: At nulla Respublica civilis & Ecclesiastica, potest mutuum illum amorem excitare & causare in cordibus hominum, sed solus Deus; cum ille solus habeat dominium in voluntatibus hominum, & omnipotentissimam inclinandum cordium quocumque voluerit potestatem, ut loquitur Augustinus: Ergo nulla Respublica, nec ullus Princeps secularis, vel Ecclesiasticus, potest sine consensu conjugum, efficere vinculum conjugale.

Confirmatur: Si daretur talis potestas in aliquo Principe vel Republica, esset in destructionem boni communis; plerumque enim talia matrimonia inter invitos & repugnantes facta, essent causa adulteriorum, homicidiorum, divoriorum, & continuorum rixarum ac dissensionum, quae ex defectu mutui amoris, & spontaneae conjunctionis, perpetuo inter conjuges vigerent: Sed nulla potest dari potestas humana, quae vergat in destructionem boni communis; nam omnis humana potestas est propter bonum commune, aut immediate collata a Deo, vel sponte translata in Principem a populo, qui non presumunt transferre potestatem in Principem, quae ipsorum communi bono adverteretur, nec Deus eam concedere: Ergo nulla potestate humana vinculum matrimonii, absque mutuo conjugum consensu, induci potest.

§. III.

Solvuntur objectiones.

Obijcies primo contra primam conclusionem: Matrimonium sumptum pro vinculo, est essentialiter vinculum mutui amoris: Sed vinculum mutui amoris sine consensu esse non potest: Ergo nec vinculum matrimonii.

Confirmatur: Matrimonium non est sola corporum, sed etiam animorum conjunctio: At animorum conjunctio sine consensu fieri nequit: Ergo nec matrimonium.

Ad objectionem respondeo, negando Majorem: Matrimonium enim sumptum pro vinculo non consistit essentialiter in amore mutuo, per animorum & operum conjunctionem; sed in dominio utriusque conjugis in corpore alterius, in ordine ad copulam, mutuaque utriusque ad alterum obligatione & subjectione, vel potius in relatione inter conjuges, ex tali dominio & obligatione resultante, ut disputat. 1. artic. 1. declaravimus; unde

unde